



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Refellitur alius dicendi modus, qui apud Recentiores communis est,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

67. Tertius modus conciliandi in Christo circa præceptum mortis ipsius libertatem cum omnimoda impeccabilitate, est ille quem ex Recentioribus Bæsa & Delugo proposuerunt, asserentes Christum Dominum, etiam posito præcepto de morte subeunda, obligante ad acceptionem, nihilominus liberè mortuum fuisse, quia (inquiunt) cum præceptum illud non obligaret ad moriendum pro illo instanti in quo fuit impositum, poterat Christus, antequam instaret tempus illud adimplendi, petere & impetrare à Patre suo dispensationem, vel commutationem, & consequenter mortem suam impedire.

68. Verùm præterquam quod hic modus dicendi non minus inutilis est ac præcedens, ad conciliandam Christi libertatem cum ejus impeccabilitate, in observantia præceptorum quæ sunt de jure naturæ, cum in talia præcepta non cadat divina dispensatio, facile potest confutari: nam Christus cognoscebat perfectè in verbo per scientiam beatam, voluntatem efficacem Dei de morte pro salute generis humani subeunda, subindeque clarè videbat voluntatem efficacem Dei, ut non peteret ab ipso dispensationem præcepti moriendi pro salute generis humani: Sed supposità cognitione talis voluntatis, non poterat Christus, se illi non conformare: Ergo supposità tali cognitione, non poterat petere, efficaciter saltem & absolute, dispensationem in præcepto moriendi sibi imposito. Major patet, Minor probatur. Velle efficaciter & absolute oppositum voluntatis efficacis divinæ, alicui evidenter notæ, est actus omninò otiosus, imprudens, & temerarius, subindeque peccaminosus, ut docent Theologi 1. 2. quæst. 19. artic. 9. & 10. ex quo inferunt id non posse convenire beatis: Sed actus peccaminosus Christo repugnabat, cum esset ab intrinseco impeccabilis: Ergo repugnabat pariter ipsum voluntate efficaci & absolute petere velle à Patre dispensationem præcepti moriendi sibi impositi.

69. Confirmatur: Licet Christus non haberet præceptum de non petenda efficaciter dispensatione præcepti moriendi pro salute generis humani, habebat tamen de illa non petenda consilium, cum hoc esset melius & perfectius: At Christus non solum erat impotens ad transgredienda præcepta, sed etiam illi repugnabat non amplecti Dei consilia: Ergo non poterat petere dispensationem præcepti de morte subeunda pro salute hominum. Major patet, Minor verò in qua est difficultas, & quam plures ex Recentioribus negant, probatur ratione desumptà ex summa Christi sanctitate. Christo namque ratione summæ sanctitatis repugnat essentialiter non solum malitia moralis, sed etiam moralis imperfectio: At in recessu à consiliis, esto malitia moralis non sit, est tamen imperfectio moralis: Ergo essentialiter Christo repugnat à consiliis discedere. Major certa videtur, etenim Christo ratione unionis hypostaticæ concedi debet maxima sanctitas, & rectitudo seu bonitas moralis possibilis: major autem est sanctitas, seu bonitas ac rectitudo moralis, quæ non solum culpam tam mortalem quàm venialem, sed etiam omnem moralem imperfectionem excludit, quàm illa quæ talem imperfectionem admittit: Ergo Christo ratione summæ sanctitatis repugnat essentialiter non solum malitia moralis, sed etiam moralis imperfectio. Unde Theologi communiter docent, actus intrinsece malos, quamvis à malitia excusatos, ob igno-

rantiam, vel defectum libertatis, repugnare essentialiter humanitati Verbo unitæ, quia semper retinent indecentiam moralem, quamvis à malitia excusentur.

Minor verò ostenditur primò, in eodem exemplo insistendo: Actus enim intrinsece materialiter malus, esto à malitia morali excusetur, non tamen est liber ab indecentia morali, & per consequens est imperfectus moraliter, nam moralis indecentia est moralis imperfectio: Ergo pariter consiliorum transgressio, quamvis mala moraliter non sit, non tamen liberatur à morali indecentia, nec consequenter ab imperfectioe morali.

Secundò, Subditum recedere à mandato simplici superioris, hoc est à voluntate superioris insinuata de aliquo opere efficiendo, sine intentione obligandi ad culpam mortalem, aut venialem, esto peccatum non sit, est tamen actus moraliter imperfectus: Ergo pariter recedere à consiliis divinis, & à majori beneplacito Dei, quamvis peccatum non sit, est tamen actus imperfectus moraliter.

Tertiò, Transgressio legis purè pœnalis, hoc est non ad culpam, sed ad pœnam tantum obligantis, quamvis non sit mala malitià morali formaliter, est tamen imperfecta imperfectioe morali; unde si Christus ut homo talis legis fuisset capax, repugnasset ipsum illam transgredi, ut faterentur omnes Theologi, alias potuisset efficere aliquid pœnæ & reprehensione dignum, quod pias aures offendit: Ergo pariter recedere à consiliis divinis, & à majori beneplacito Dei, quamvis non sit peccatum, nec malum malitià morali formaliter, est tamen aliquid moraliter imperfectum, & moraliter indecens, & per consequens summæ Christi sanctitati repugnans.

§. II.

Refellitur alius dicendi modus, qui apud Recentiores communis est.

70. Quartus modus concordie libertatis Christi cum omnimoda ipsius impeccabilitate in subeunda morte, est Valentis, Vazquis, Lessii, Moncæi, Theophili Raynaudi, & aliorum, qui dicunt ideò Christum, non obstante omnimoda, suâ impeccabilitate, liberè præceptum de morte subeunda implevisse, quia licet supposito tali præcepto non potuerit velle non mori, subindeque non fuerit liber circa substantiam suæ mortis, fuit tamen indifferens & liber ad moriendum ex hoc vel illo motivo, fortitudinis nimirum, vel patientiæ, vel misericordiæ; pro hoc vel illo tempore, actu intenso, vel remisso: quia (inquiunt) præceptum de morte subeunda ad illas circumstantias minimè se extendebat; idque ex eo probant, quod de tali præcepto affirmativo non aliter loquendum nobis sit, quàm de illis quæ Deus nobis imponit: clarum autem est (inquiunt) nulum nobis imponi præceptum affirmativum de aliqua facienda, cum determinato affectu & intentionis gradu.

71. Sed in primis hic dicendi modus apertè repugnare videtur Scripturæ, quæ variis in locis insinuat mortem Christi fuisse illi præceptam, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias temporis, & motivi. Quoad tempus quidem, id apertè colligitur ex verbis illis Christi Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomo-*

do coarctator usque dum perficiatur: docet enim Christus hac formâ loquendi, se angere ex mora sive dilatione suæ mortis, ut observat Glossa interlinearis: non fuisset autem cur Christus angeretur de dilatione suæ mortis, si ejus tempus non fuisset à Patre determinatum, sed suæ libertati relictum. Quoad motivum verò: probatur ex illo ad Galat. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, ut eos qui sub lege erant redimeret*: hinc enim habetur, Christo mortem fuisse præceptam, non utcunque, sed ut suâ morte nos redimeret, atque adeo ut ex charitate erga nos subeundam. Item Joan. 24. Christus dicebat: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*: quibus verbis denotatur, non solum substantiam operis, sed etiam modum ex circumstantiis desumptum, sub præcepto Patris fuisse. Demum Matth. 26. Christus sic Patrem alloquitur: *Peruntatem non sicut ego volo, sed sicut tu*: quid autem illa formula verborum significat, nisi rei præceptæ circumstantias: Unde in id unum conspirant Evangelistæ, ut perfectam voluntatis Christi cum paterna confectionem, quoad res volitas, & rationem volendi, quoad substantiam actûs, & circumstantias referrent; atque hoc absolute obedientiæ exemplo nos docerent, quâ ratione divinis præceptis parere nos oporteret.

72. Secundo, Christus mortuus est ex perfectissima obedientia, ut supra ostensum est: Sed perfectior est obedientia quæ opus quoad substantiam & omnes circumstantias præceptum supponit, quàm quæ solum supponit substantiam operis præceptam: Ergo præceptum moriendi Christo à Patre impositum, non solum ad substantiam mortis, sed etiam ad omnes ejus circumstantias se extendebat.

73. Si dicas concedendam esse Christo perfectissimam obedientiam, conservatâ libertate in moriendo: hanc autem servari non posse, si mors supponatur præcepta quoad substantiam & circumstantias. In contrarium obstant quæ supra diximus, primum dicendi modum confutando, nimirum præceptum habens pro materia actum liberum, non posse illius libertatem destruere: Ergo etsi omnes mortis Christi circumstantias præscribat, libertatem ejus in acceptanda morte non auferet, & consequenter ob inconvenientiam libertatis auferendæ, non est Christo neganda illa major obedientiæ perfectio.

74. Tertiò ex doctrina Adversariorum sequitur, Christum non meruisse nostram redemptionem, & sui nominis exaltationem, ex eo præcisè quod mortuus est, sed solum ex eo quod tali vel tali affectu, hoc vel illo motivo, tali modo, aut tali loco, mortem sustinuit: Sed hoc est falsum, & Scripturæ repugnans, dicitur enim Isaia 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum &c.* Et ad Philippenfes 2. *Factus obediens usque ad mortem, propter quod exaltavit illum.* Ubi præmium redemptionis hominum, & exaltationis nominis Christi, non circumstantiis, sed ipsi substantiæ mortis ejus tribuitur: Ergo &c. Sequela Majoris probatur: Ea ratione actus est meritorius, quâ liber, cum libertas sit fundamentum meriti: Sed juxta Adversarios mors Christi non fuit libera, quantum ad substantiam (quia sub hac ratione fuit à Deo præcepta, & juxta illos, præceptum & libertas, in eandem rationem cadere non possunt) sed solum quoad circumstantias, quæ sub præcepto non

A fuerunt, ut illi existimant: Ergo juxta doctrinam Adversariorum, Christus non meruit nostram redemptionem, & sui nominis exaltationem, ex eo præcisè quod mortuus est, sed solum ex eo quod tali vel tali affectu, tali modo, vel loco, aut tempore mortem sustinuit.

Confirmatur: Homo condemnatus ad mortem necessario sustinendam, cujus electioni & arbitrio modus mortis esset relictus, licet posset dici cum proprietate liberè & meritorie mortem sustinere, quoad modum determinatum moriendi, non tamen posset cum proprietate dici absolute mori liberè & meritorie: Ergo si Christus fuit necessitatus ad moriendum absolute, & solum fuit liber in morte quoad circumstantias, etsi possit propriè dici liberè & meritorie mortuus hoc determinato tempore, & ex eo determinato motivo, & sic de aliis circumstantiis, non tamen potest cum proprietate dici sustinuisse mortem liberè, aut quia sustinuit mortem absolute meruisse.

Confirmatur amplius: Voluntas necessitata ad amorem Dei verbi gratiâ, & solum libera ad amandum illum ex hoc vel illo motivo, non diceretur propriè mereri, quia diligeret Deum, sed quia diligeret ex hoc vel illo motivo: Ergo si voluntas Christi fuit necessitata ad mortem acceptandam, & solum fuit libera ad illam acceptandam ex hoc vel illo motivo, non poterit propriè dici meruisse, quia mortem acceptavit, sed solum quia illam acceptavit ex hoc vel illo motivo, & sub hac vel illa circumstantia.

Aliud etiam sequitur absurdum ex Adversariorum doctrina: Si enim Christus non fuit liber circa substantiam suæ mortis, quæ erat illi præcepta, sed solum circa circumstantias, quæ non cadebant sub præcepto, sequitur actum obedientiæ Christi in acceptanda morte, formaliter ut talem, nullo modo fuisse meritorium: Sed hoc non potest dici: Ergo &c. Minor est certa, dicit enim Apostolus ad Romanos 3. *quod sicut per inobedientiam unius (scilicet Adami) multi constituti sunt peccatores, ita per obedientiam alterius (scilicet Christi) multi constituti sunt justi.* Quæ doctrina & comparatio ut verificetur, necesse est quod obedientia Christi, formaliter quâ talis, fuerit meritoria nostræ justitiæ, sicut inobedientia Adami fuit meritoria privationis gratiæ, in qua consistit peccatum originale. Sequela verò Majoris probatur: Cum in doctrina Adversariorum, sola substantia mortis Christi fuerit ei à Deo præcepta, non verò ejus circumstantiæ, actus obedientiæ ejus, formaliter quâ talis, non respiciebat nisi substantiam ipsam mortis: Atqui ut respiciens præcisè substantiam mortis, non fuit juxta illos Authores liber, sed solum quatenus respiciebat circumstantias: Ergo in eorum doctrina actus obedientiæ Christi in acceptanda sua morte, formaliter ut erat actus obedientiæ, nullo modo fuit meritorius.

Denique modus dicendi Adversariorum impugnari potest destruendo præcipuum illorum fundamentum: Motivum enim præcipuum quo illi ducuntur ad asserendum præceptum moriendi quod fuit Christo impositum, se extendere duntaxat ad substantiam mortis, non verò ad ejus circumstantias, est quia si non solum substantia, sed etiam circumstantiæ mortis Christi caderent sub præcepto, illa nullo modo esset libera, nec per consequens meritoria: Sed hæc ratio nulla est: Ergo &c. Minor probatur primò, quia ut supra

dicebamus, præceptum habens pro materia actum liberum, non potest illius libertatem destruere, alioquin seipsum destrueret: Ergo etsi præceptum moriendi Christo à Patre impositum, omnes mortis circumstantias præscribat, libertatem tamen Christi in acceptanda morte non auferet.

79. Secundo, negari non potest mortem Christi non solum quoad substantiam, sed etiam quantum ad omnes ejus circumstantias, fuisse à Deo efficaciter volitam, & ab ipso prædefinitam; & tamen hoc non obstante, illam fuisse liberam, & meritoriam: Ergo similiter, quamvis non solum quoad substantiam, sed etiam quantum ad omnes circumstantias præcepta fuerit, nihilominus libera & meritoria fuit. Consequentia patet, cum enim Christus per scientiam beatam illam Dei voluntatem & prædefinitionem ad omnes circumstantias suæ mortis sese extendentem, clarè cognosceret, non minus impotens erat ad illi repugnandum, quam ad non implendum præceptum moriendi sibi à Patre impositum; nam licet se conformare tali voluntati, non esset de præcepto stricto & rigorofo, erat tamen de consilio, cum hoc multo melius & perfectius esset: Christus autem, ut supra ostensum est, ratione suæ infinitæ sanctitatis, non poterat non acquiescere consiliis, & à majori Dei beneplacito recedere: Ergo si mors Christi fuit libera & meritoria, non obstante quod non solum quoad substantiam, sed etiam quantum ad omnes ejus circumstantias, fuerit à Deo efficaciter volita, & prædefinita, etiam libera erit & meritoria, quamvis non solum quoad substantiam, sed etiam quantum ad omnes circumstantias, præcepta fuerit.

80. Antecedens verò probatur primò ex Scriptura, quæ variis in locis apertè docet passionem Christi, non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad omnes circumstantias ejus, fuisse à Deo prædefinitam: nam Actorum 4. illa circumstantia mortis Christi, quod scilicet Herodes & Pilatus convenerint in Jerusalem, dicitur à Deo decreta: *Convenerunt in Civitate ista adversus puerum tuum Jesum quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Israël, facere quæ manus tua & consilium tuum DECREVERUNT fieri.* Proditio Judæ, flagellatio, crucifixio, & fells potatio, passim in Psalmis prophetantur. Circumstantia etiam temporis notatur Joan 13. *Sciens Jesus quia venit hora ejus.* Et cap. 17. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Quæ verba exponens D. Augustinus tract. 104. in Joan. subdit: *Ostendit omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum qui tempori subditus non est: quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora.* Non ergo credamus hanc horam fato urgente venisse, sed Deo potius ordinante. Denique Lucæ 22. ipse Christus dicebat: *Filius hominis secundum quod DEFINITUM EST vadit.* Quibus verbis manifestè docet, omnes suas actiones & passiones fuisse à Deo ab æterno præordinatas ac prædefinitas. Unde Leo Papa serm. 7. de passione Domini: *Nulla poterat ratione turbari quod ante æterna secula, & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter PRÆFINITUM.* Et sermone 9. *Sacramentum Dominica Passionis in*

A *salutem generis humani fuit ante tempora dispositum, & per multas significationes omnibus retro seculis nuntiatur.* Constat ergo ex Scriptura & Sanctis Patribus, Passionem Christi, tam quoad substantiam, quam quoad omnes ejus circumstantias, fuisse à Deo absoluto & efficaci suæ voluntatis decreto prædefinitam.

Ratio etiam id suadet: nam divina providentia, cum sit perfectissima, & universalissima, atque se extendat ad omnia ad quæ se extendit ejus causalitas, attingit actus nostros liberos, non solum quoad ad substantiam, sed etiam quantum ad omnes illorum circumstantias, formalitates, & modos, ut in Tractatu de voluntate Dei variis rationibus demonstravimus: Ergo cum Deus habuerit multò perfectiorem providentiam de actionibus & passionibus, quas Christus dum erat viator in terris elicit, vel sustinuit, (illæ enim erant summi momenti, & infiniti valoris, & ab ipsis salus orbis, & honoris divini reparatio dependebat) quam de nostris operationibus, negari non potest, illas fuisse pariter à Deo prædefinitas, non solum quantum ad substantiam, sed etiam quoad modum & circumstantias illarum. Idem cum proportionem de præcepto moriendi Christo à Patre imposito dicendum est, illud nimirum, non solum ad substantiam, sed etiam ad omnes ejus circumstantias se extendisse.

C Neque obstat id quod Adversarij opponunt in contrarium: licet enim verum sit, quæ Deus imperat nobis, non præcipi quoad omnes ejus circumstantias, negatur tamen consequentia & paritas de præcepto mortis Christi. Disparitas est, quia cum voluntates nostræ non sint adeò promptæ ad exequendam superioris voluntatem, debent suavia esse quæ nobis imponuntur præcepta, atque adeò non obligare quoad omnes circumstantias. Cæterum voluntas Christi, cum contra esset promptissima ad obediendum Patri in omnibus, debuit obligari ad actum obedientiæ perfectissimum & strictissimum, atque adeò ad actum obedientiæ, tam quoad circumstantias, quam quoad substantiam suæ passionis & mortis.

§. III.

Traditur verus modus dicendi, & conciliandi libertatem Christi cum ejus impeccabilitate.

R Elictis igitur ac rejectis quatuor præcedentibus modis dicendi, & conciliandi libertatem Christi cum illius impeccabilitate, ut eum qui communis est omnibus Thomistis, tandem stabiliamus & declaremus.

E Supponendum primò, quod sicut ad hoc ut voluntas in eliciendo actum amoris sit libera, non requiritur, imò implicat, quod possit conjugere non amorem cum ipso amore (duo enim contradictoria, qualia sunt amor & non amor respectu ejusdem objecti, nequeunt esse simul) sed sufficit quod actualiter amando, habeat simul & retineat potentiam ad non amorem, sive ad negationem amoris, divisim ponendam ab amore: ita similiter ut Christus, non obstante omnimodâ suâ impeccabilitate, & præcepto Patris de morte subeunda, liberè dicatur mortuus, non est necesse, imò implicat, factâ suppositione omnimodæ ipsius impeccabilitatis, quod